

sunt His ait per Oseam: Ipsi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognoui. Et ubi thema ait dominus: Ego sum ostium ouium, omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones. Quot quot venerunt, intelligendum est secundum August. præter me. Præter illum utique veniunt, qui non illum, sed sua lucra quaerunt veniunt, præter illum veniunt, qui non ab illo vocati, sed intrusi præsentent contra illius prohibitionem, qui per apostolum suum dicit: Nemo sibi assumat honorem, sed qui à Deo vocatur ut Aaron: Hebr. 5. Qua vocatur charissimi si nomen latronis, furis, ac lupi horretis (sicut horrere debetis) horum caute opera, quoniam à fructu suo arbor queque no men habet.

Sed hos relinquamus, ad mercenarios paulisper redeamus. Hi sunt ut dictum est, qui propter temporalia lucra oves pascunt. Nec tamen ideo putet quos pastores non esse, qui temporalibus bonis à subditis collatis vtuntur. Quoniam dominus ipse discipulis suis ait Lu. 10. Dignus est mercenarius mercede sua, in bono accipit mercenarium, non quo modo hic in malo. Nam & filius patris laborans, ab eo pascitur, & vestitur, nec ideo minus paterna hereditate potitur. Quis (ait apostolus) militat suis stipendiis vnquam? Quis plantat vineam & de fructibus eius non edet? Quis pascit gregem, & de lacte eius non manducet? & cetera multa, quæ idem ex scriptura clarissime deducit 1. Cor. 9. concludens: Nescitis quod qui in sacratio operantur, quæ de sacratio sunt, edunt, qui altario deseruiunt, de altario participant. Ita & dominus ordinavit his, qui euangelium annunciant, de euangelio viuere. Hæc Paulus Pulchrè etiam de hoc loquitur Aug. lib. 1. de pastoribus bo. c. Aliud n. est, & valde diuersum pro vitæ sustentatione à subditis recepta, euangelio, immo per euangelium Christo deseruire, & aliud Christi seruiutem, ac euangelium in questum ordinare. Aliud denique est principale oculum habere ad lucrum temporale, & aliud princi-

paliter ad lucrum animarum, minus principaliter autem, & secundario, ad temporalem sustentationem. Aliud perinde est accipere temporale pro spirituali tanquam precium adæquatum, & aliud recipere temporale tanquam sustentationem ministro spirituali debitam. Prima sunt mercenariorum. Secunda verò pastorum.

Quia ergo intentio nobis occulta est nec iudicanda, frequenter inter pastorem & mercenarium discernere non valemus, maxime si occasio necessitatis deest, ut dicit Grego. Tranquillitatis enim tempus plerumque ad gregis custodiam sicut verus pastor, sic & mercenarius constat. Verum in tempore aduersitatis lupi. s. aduenientis dominus nobis signa prodidit, quibus uterque noscitur. Tunc pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis, non fugit, sed oves propter Christum diligit, dicens cum apostolo 2. Cor. 7. ex sententia de ouibus In cordibus nostris etis ad commoriendum, & conuiuendum. Et iterum: Non subterfugi quo minus annunciem vobis omne consilium Dei. Actu. 20. Mercenarius autem videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit. Lupus ille, qui veniens oves rapit, & dispergit, diabolus est, qui sine cessatone non corpora, sed mentes lanxat, secundum Grego. cura si alium ad luxuriam pertrahit, alium in auaritiam accendit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam diuidit, alium inuidiam stimulat, illum fallacia supplantat. Et ita fidelem populum varias per tentationes necat. Hæc videns mercenarius qui sua querit, non quæ Iesu Christi, fugit dum peccatorem liberè non audet arguere. Fugit, quia iniustitiam vidit, & tacuit. Fugit (ait Aug.) quia tacuit, quia timuit. Fuga etenim animi timor est. Quisquis ergo timet, ne is, qui pro peccato arguendus est, inimicus fiat, insidietur, noceat cum potuerit, & ita ne perdat, quod sectatur humanæ amicitie commoditatem, & inimicitiarum humanarum incurrat molestiam, tacet non corripit, lupus guttur apprehendit, dum diabolus in peccatum

Quo tempore dignoscatur mercenarius, & pastor.

Qui sunt mercenarii & qui illorum merces.